

vum conditionalis est hac institutio, que in testamento data esset. Proinde & si ita scripserit, cuius nomen codicillis scripsero, ille mihi hæres este, pari ratione dicendum erit, institutionem valere, nullo Jure impediente.

**11** Ego cum plerisque in contrariam sententiam declinavi in hoc cap. num. 68. & in n. 69. jam respondi ad objectam l. asse 1010 77. ibi non tam institutionem hæredis quam declarationem probari. Nempe, cum in testamento jam sit facta hæredis institutio generalis seu indeterminata, ejusque declaratio seu specialis determinatio fuerit rejecta ad futurum codicillum, hæres non tam in codicillo, quam in testamento, cuius ille pars est, institutus censetur, ut clarè insinuat Jctus in verb. tamen hac ex testamento data videtur.

**12** Cæteroque, si in testamento ne quidem generalis mentio fiat de hærede, & postea in subsequenti codicillo primùm designetur aliquis hæres, designatio non valet l. hæredita-

tem 2. Cod. de Codicill. l. quod per manus 10. ff. de Jure Cod. ubi simul redditur ratio: ne per codicillos, qui ex testamento valent, ipsum testamentum, quod vires per institutionem hæredum accipit, confirmari videatur.

Ad l. institutio talis 10. in pr. pari ferè re-  
**13** sponse utendum: nam verba posteriora idem expriment, quod in cit. l. asse 1010 77. contentum est; anteriora verò non multùm abluunt ab eo sensu, nisi quòd institutio videatur esse conditionalis, cuius eventus æquè in codicillo determinari, quam hæredis nomen & persona declarari potest, absque eo, quòd hæreditas per codicillum acquisita dicatur, ut patet ex verbis: nec videtur hæreditas codicillis data &c.

Qualiter verò hæreditas per codicillum  
**14** indirectè & per modum fideicommissum dari possit, fufius examinat Stryck de Causel. rellam. cap. 23. §. 23. & seqq.

## PARS II. DE SUCCESSIONE AB INTESTATO.

### CAPUT I.

#### De Successione ab intestato Civili.

##### SUMMARIA.

**1.** & seqq. An Monasterium succedat patri, si filius professus præmoriatur? Rationes dubitandi. **5.** & seqq. Evolvantur. **9.** & seqq. Nova objectio ponitur, & refellitur. **12.** & seqq. An fratrum filii cum ascendentibus admittantur ad successionem patris, quando nullus ex parentibus superest? Motivum negandi. **14.** & seqq. Roboratur opinio affirmans, & vin-

dicatur à motivo opposito. **18.** Quidam putant, in concursu filiorum ex fratribus germanis & uterinis omnes ad successionem admitti. **19.** & seqq. Eligitur & probatur sententia contraria. **21.** Explicatur Novell. 118. cap. 3. §. 1. **23.** Fratrum uterinorum & consanguineorum liberi, quando sunt soli, omnes reliquos excludunt.

##### QUÆSTIO I.

An Monasterium succedat in hereditate patris, quando filius professus moritur ante patrem?

**1** Abstrahendò à praxi respondi in hoc cap. num. 55. affirmativam non esse improbabilem ex rationibus, ibidem propositis. Cui non officiant, quæ opponit P. Pichler ad tit. de Success. ab intest. num. 10. quòd viventis non sit hæreditas, & filius ipse, si in sæculo ante patrem decessisset, non posset succedere; quòdve filius in Monasterium non transtulerit jus absolutum, sed conditionatum hæreditatis, si nempe ipsi vel Monasterio fuerit delata; & denique quòd parentes in vita ne quidem legitimam debeant liberis l. hic titulus 1. §. 21. ff. de Collatione, extra casum, quòd illa est necessaria ad sustentationem; qualis necessitas in Religioso, à Religione alendò, non reperitur. Si-

quidem, licèt viventis non sit hæreditas, est tamen in filio jus succedendi, radicatum in jure suitatis, vi cuius liberi bonorum patrum jam in vita patris quodammodo domini censentur §. sic autem 2. Instit. de Hæred. qual. & differ. Cùmque hoc jus per professionem fuerit translatum in Monasterium, etiam post mortem filii manet; succeditque Monasterium pari ferè ratione, quâ nepos post mortem filii succedit avo, dum jure suitatis filium repræsenta. Indeque dici non potest, hoc jus esse conditionatum, si fuerit delata hæreditas: quia per se loquendò absolutum est, solùmque in executione differtur ad tempus mortis paternæ. Et quamvis parentes filius in vita non teneatur ad legi-

legitimam, effectivè constituendam, tenentur tamen illam relinquere in eventum mortis, utpote quæ liberis tanquam debita statuitur in Nov. 18. in prefat. & in l. scimus 36. §. 2. Cod. de Inoff. testam.

**9** Dices: Monasterium nec posse succedere jure sanguinis, quod cum morte filii expirat; nec jure repræsensationis, quod locum non habet ex parte Superioris respectu inferioris.

Resp. succedere jure repræsensationis, 10 quatenus Monasterium ex benigna juris fictione habetur locò liberorum per cap. in præsentia 8. de Probat. & Nov. 123. cap. 37. Non 11 obstante, quòd respectu Religiosi agat vicem Superioris: quia superioritas illa spiritualis, ex potestate œconomica descendens, quando agitur de favore Monasterii, non impedit, quò minus ex Juris fictione possit subire personam filii.

##### QUÆSTIO II.

An fratrum filii cum ascendentibus ad successionem patris admittantur, etiam si nullus ex ipsorum parentibus superfit?

**12** Admitti ipsos, si aliqui ex parentibus vivunt, decisum est in Nov. 127. in prefat.

**13** & cap. 1. Non admitti, si nullus ex parentibus superfit, statuit Huberus ad tit. Inst. de Success. ab intest. num. 11. cuius hæc verba sunt. Solum per se non possunt admitti, quia gradu remotiores sunt, & in ordine tali, qui postponitur ascendentibus. Repræsensationis illis prodesse deberet; hæc autem manifestò cessat, ubi thios non habent per Nov. 118. cap. 3. in pr.

**14** Sed in hac quoque hypothesi fratrum germanorum & sororum filios admitti, nos diximus in hoc cap. num. 82. & quidem jure repræsensationis: nam, licèt in d. Nov. 127. cap. 1. quoad conceptum verborum solùm. adstruatur casus, si quis moriens relinquat ascendensium aliquam, & fratres, qui possint cum pa-

rentibus vocari, & alterius præmortui fratris filios; attamen non excluditur casus alius, si 15 nulli fratres extant, sed præmortuorum fratrum filii: imò non tantum in summario d. cap. 1. generatim dicitur, ut fratrum filii succedant etiam ascendentibus primi gradus extantibus, sed etiam eadem & major ratio pugnat, 16 quando fratres illius, de cuius hæreditate agitur, sunt mortui: cùm enim, fratribus extantibus, qui gradu propinquiores sunt, præmortuorum filii jure repræsensationis cum ascendentibus admittantur; cur non eodem jure gaudeant, quando sunt soli, & propinquiores non extant? Ut proinde regula, quæ aliàs de Jure correctorio, cuiusmodi est cit. Nov. 123. corrigens Novellam 118. c. 3. afferri solet, quòd non plus censetur correctum, quam expressum, hic applicari nequeat.

##### QUÆSTIO III.

An, si defunctus nullos reliquerit fratres, sed fratrum filios, fratrum defunctorum unilateralem filii cum filiis fratrum defunctorum bilateralium succedant?

**18** Aliquos ita concludere, refert Huberus cit. l. num. 14. quia, cùm subitio in locum parentis tali casu cesset, nihil superesse videtur, nisi ut distantiam gradus spectemus, quam in omnibus eandem esse, compertum est.

**19** Sed nimis enorme, ait Huberus, & absolum foret, eos, qui patres alterò gradu propinquos excludunt, non idem juris habere contra filios, tertio gradu à defuncto distantes. Decet nos ita Jus interpretari, ne Legislatorem apertè absurdum voluisse, statuamus.

**20** Cùm quæritur, an filii uterinorum & germanorum concurrant, uterini debent probare, se pari gradu differre; ut hoc ostendant, primò ad stipitem recurrunt, inde ad suum parentem; hunc ejus osten-

dunt conditionis, ut, si viveret, repelleretur; ab eo tamen jus suum deducunt. Ratio, 21 quæ repulit patres, illis non obstat, dum nempe in casu præsentis, ubi meri fratrum filii concurrunt, jus repræsensationis locum sibi non vindicat. Sed hoc, quòd patres repelleretur, illis obstat. Nec contradicit d. Nov. 118. cap. 3. §. 1. quæ solam graduum distantiam observari præcipit: loquitur enim de casu, quò defunctus neque fratres, neque filios fratrum reliquit.

Cæterum, ut monet Huberus d. num. 14. 23 in f. consanguineorum vel uterinorum fratrum filii, soli existentes, remotiores cognatos, etiam utrinque conjunctos, sine dubio excludunt.



CAPUT II.  
De Successione Prætoria.

Nihil in hac, ad praxin non multum conferente materia, Supplementi loco addendum occurrit.

CAPUT III.  
De Successione Feudali.

SUMMARI A.

- 1. Utrum liberi, nati ex matrimonio conscientia, succedant in feudo? Ratio dubitandi. 2. & seqq. Probatur opinio affirmativa, cum enervatione rationis dubitandi. 5. Filiabus quandoque ex consuetudine dos constituitur ex feudo. 6. Et interdum pars feudi datur in solutum.
- 7. & 8. Electio dandi partem feudi aut pecunias est penes Vasallum. 9. In successione feudali collateralis proximitas gradus mensuratur ab ultimo possessore. 10. Si adsit aliquis ex eadem linea, omnibus præfertur. 11. Alius vocatur, qui proximus est in linea viciniore.

QUÆSTIO I.

An liberi, nati ex matrimonio, quod vocant, conscientia succedant in Feudo?

**D**ixeris fortasse, quod non; argumentò defumptò à matrimonio, ad morganicam contractò, ex quo procreati liberi non succedunt in feudo juxta textum in lib. 2. Feud. tit. 29. At minus rectè: nam matrimonium, quod vocant, conscientia eò quidem sine plerumque contrahitur, ut uxor, si interioris conditionis fuerit, sit quidem thori focia, sed non consors dignitatis, saltem pro tempore, quò ita placuerit marito; nihilominus, nisi speciale pactum adjiciatur, ut liberi, exinde nati, feudalis successione incapaces reputentur, nec Lex nec ratio offencilum parit, quò minus succedendi jus obtineant. Quin imò liberum est ma-

rito, ejusmodi conjugio talem apponere conditionem, ut, si ex primo matrimonio jam adsint liberi, procreati ex secundo seu conscientia non succedant; illis verò è medio sublatis, his liber accessus ad successione pateat; qua in suppositione facultas succedendi adhuc clarius elucescit. Quid, quòd ipsi filii, ex matrimonio ad morganicam progeniti, non alia ex causa excludantur à successione, nisi quòd tali conditione inestur, ne filii ex eo nati patri ab intestato succedant? Textus in cit. tit. 29. & tit. 26. §. filii nati Feud. 2. Stryck in tract. de Success. ab intestat. differ. 1. cap. 3. §. 13.

QUÆSTIO II.

Utrum foemina ex Feudo masculino dos saltem debeatur?

**G**ermania moribus receptum esse, ut foemina ex feudo dos constituatur, supponit Mevius p. 2. decis. 119. num. 2. & p. 3. decis. 363. num. 1. Si nempe, ut declarat Carpov. Jurisprud. for. p. 2. const. 46. def. 16. bona allodialia deficiant. Sed quia successor interdum valde onerosum aut omninò impossibile est, pecunià paratà ab onere dotandi se liberare, præsertim cum propter defectum pignoris (nec enim res feudalis oppignorari potest) difficulter quempiam inveniat, qui eas det mutuas: hinc partem feudi sæpiùs in solutum offerri, asseverat Stryck cit. cap. 3. §. 10. ideòque disputatum aliquando scribit, an filibus hoc casu electio competat, an verò Vasallus pro libitu

partem feudi offerre possit? A sua tamen Facultate Juridica decisum refert, electionem competere Vasallo: utpote ejus, totius familiae, quin & domini directi interest, ut feuda non nimium graventur, & cum onere dotandi prematur, facultate eligendi subleventur: non attentà dispositione Novell. 4. §. cap. 3. & Recept. Imp. de anno 1654. sò visum die Capitalia, ubi, si creditori bona in solutum offeruntur, illius dicitur esse electio: quia alii creditores certant de damno vitando, & pecunià, quam crediderunt debitori, recipienda; filia autem lucrum captare volunt ex feudo cum insigni successoris feudalis incommodo.

QUÆSTIO III.

A quo in successione feudali collateralis mensuranda sit proximitas gradus & lineæ?

**D**ixi hoc cap. num. 61. cum probatissimis Authoribus, esse mensurandam ab ultimo feudi possessore, & non à primo acquirente: quia in tit. 11. §. his consequenter (cui succinit tit. 37.) Feud. 2. post liberos demum fratres vocantur, cum tamen hi primo acquirenti sint proximiores. Ut tamen innotescat, quomodo sit habenda ratio lineæ, juvat explicationem ex Struvio in Syntagm. Jur. Feud. cap. 9. aphor. 7. num. 4. etiam à Stryckio d. l. diff. 3. cap. 2. §. 11. receptam, repetere. Nempe moriente Vasallo erit videndum, an aliqui in eadem linea, seu qui ex eodem stipite proximo cum defuncto descendant, superint: hi enim omnibus aliis, etiam, primo acquirenti prioribus, præferuntur. Si verò in eadem linea nulli adsint, tunc ad lineam proximè viciniorem, hoc est, ad personas, quæ in proximo stipite cum defuncto conveniunt, progrediendum; & inde, qui Vasallo gradu proximus, ad successionem vocandus: ut sic prior lineæ, post gradus habenda ratio. E.g. moritur Vasallus, relicto patre & fratris nepote, nepos, tanquam in proximo stipite cum defuncto concurrens, patrum excludit per textum in tit. 50. in fin. Feud. 2.

CAPUT IV.

De Successione Statutaria & Pactitia.

DE Successione statutaria, cum nimium variet, additione opus esse, non censo; de Pactitia alibi quondam, DEO dante, ampliorem campum aperiam.



SUPPLEMENTUM

AD

LIB. IV. DECRETALIU M.

TRACTATUS I.

DE SPONSALIBUS.

CAPUT I.

De Natura Sponsalium.

CAPUT II.

De Personis, Sponsalia contrahentibus.

**H**æc duo Capita tam articulatum à me eviscerata fuisse, mihi persuadeo, ut quid addere vel apponere superfluum appareat. Imò universa hæc Sponsalium & Matrimonii materia adeò discussa & excussa jam est, ut ferè vix novi aliquid quoad substantiam in medium afferri possit. Quamobrem, si eandem ficcò propemodum pede in hoc Supplemento pertranseam, facile merebor veniam.